

17. 6 Martij.

54, f. 17.

Petitiones Sacerdotum Anglorum.

1. Vt auctoritate Apostolica decidatur controuersia illa de schismate et inobedientia, quæ tantorum scandalorum et contentionum in Anglia causa extitit.

2. Vt sua sanctitas aliquam ineat rationem de leuanda persecutio[n]e in Anglia, quod infinitis Catholicorum lachrymis et lamentis desideratur, à quo magistratus Hereticus hoc tempore non uideri omnino abhorrete.

3. Vt prohibeantur omnes Ecc^{ei} Angli tam religiosi quam seculares ne se rebus politicis ullo modo immisceant, unde ciuilis magistratus grauiorem in Catholicorum persecutionem commoueatur.

4. Vt uarijs Catholicorum necessitatibus spiritualibus prouideatur Constitutione episcoporum uel suffraganeorum in Anglia.

5. Vt Collegijs Romano et Duaceno projiciantur tales de quibus constat impie eos contra statum politicum machinatos esse.

6. Vt omnes tam sacerdotes quam laici teneantur revelare siquid contra statum aut personam Reginæ tentari intellexerint.

18. *Informatio de quibusdam Presbiteris qui nuper Romam ex Anglia 54, f. 187b.
uenerunt, ut tam suo quam aliorum quorundam paucorum
nomine Archipresb'ri Institutionem à sua Sanct^e mandatam
impugnent.*

Reginæ Consiliarios aliosque hereticos Anglicanos multis iam annis, perspecto Religionis Catholicae augmento mirabilique seminariorum fructu, uijs omnibus huic prouentui suam industriam opposuisse neminem latere possit cui regni illius conditio perspecta est.

Nulla autem illis uia accommodatior faciliorque uisa est, quam per seditiones quorundam hominum qui, cum Catholici haberentur, alieni tamen à disciplina Catholica erant uel minime animo cum eis coniuncti qui res Catholicorum precipue administrabant,

cuiusmodi erat Ill^{mus} Car'lis Alanus dum uiueret, aliqui ei adherentes quos inquietiores isti non mediocriter exercebant.

Mortuo Card^{le} optimo ad annum D'ni 1594 Collegij Anglorum de Vrbe res in apertum prorupere tumultum, eo quod per triennium fere magna suæ sanctitatis molestia durauit, eiusdem tamen prudentia atque auctoritate dimissis seditionis ducibus quieuit penitus Collegium, selectissimaque hodie juuentute floret et singulari unione animorum fruitur.

Ex dimissorum [coetu] tumultuantum nonnulli, cum in Angliam peruenissent aliosque ingenij quietioris inuenissent, nouas statim tumultuandi uias excogitare ceperunt, partim ut patres societatis in pace degentes impugnarent, partim ut prefecturas sibi ipsi sine ulla sedis Apostolicæ auctoritate assumerent.

Huius Rei S^{mus} D. N. multorum ex clero Anglicano literis admonitus, qui id etiam sentiebant, idoneum fore remedium ad emulationem contra partes tollendam uel minuendam saltem pacemque firmandam, si superior[em] ex suo ordine, hoc est ex sacerdotibus secularibus, constitueret. Quibus ille paterne assentiendum duxit, eisque per Ill^{mi} Car'lis Caëtani Protectoris Angliæ literas Archip'brum D'num Georgium Blackuuellium spectatae virtutis ac eruditionis virum, re prius cum Ill^{mis} Sacrae Inquisitionis Cardinalibus consultata, ordinandum iussit.

Hanc Summi Pontificis ordinationem gratissimo animo Catholici omnes, et plusquam trecenti Sacerdotes acceptarunt gratiasque per literas egerunt; pauci uero quidam, vix decem ab initio, quod ambitioni suæ obstructas hac Pontificis ordinatione uias animaduertissent reluctari ceperunt et tumultus per Angliam ciere Anno D'ni 1598.

Et primum quidem exagitare tam uerbis quam scriptis et libellis impressis Cardinalis suarumque literarum fidem. Deinde affirmare palamque asserere non potuisse Pontificem ipsis inuitis Prelatum eis dare, nisi contra Canones ageret, monere Pontificem, quod qui amet periculum peribit in eo: Ac denique terrere Catholicos legibus Regni penalibus ne Archip'bro a Sua Sancte

instituto, sub pena amissionis bonorum ac perpetuo carcere nominis obedientiam deferrent.

Anno D'ni 1599 Sua Sanct^{as} Breue Apostolicum dedit quo Archipresbiteri institutionem aliaque omnia in literis Ill^{mi} Cardinalis Caëtani contenta confirmauit: quo viso inquieti timore nonnihil perculsi pacem ad aliquot dies simulant: sed inito deinde arctiori cum pseudo Ep'o Londinensi ac Reginæ Consiliarijs commercio, iterum tumultuantur, et ab omni Archipresbiteri auctoritate appellant, nullo interim Romam missso uel procuratore uel exhibita appellationis copia plusquam quindecim omnino mensium spatio.

Interea Sua Sanc^{as} uisa appellatione per Archipresbiterum transmissa, re penitus deliberata, nullo modo admittendam censuit; sed iterum causam determinat, Archipresbiterum confirmat, lites dirimit, silentium imponit idque per Breue Apostolicum ad decimum septimum Augusti Anno D'ni 1601 editum.

Isti uero uihil curare, imo non expectata Pontificis sententia^a cum Reginæ Consiliarijs iterum transigere de seditione hac modis omnibus promouenda, presertim uero libellis famosis impressis, quorum iam decem uel undecim ediderunt, omni genere immodestiae virulentiae ac contumeliarum plenos; alia uero decem volumina promittunt quibus infinita tam Catholicis quam hereticis scandala præbentur.

His enim libris non tantum intoleranda conuitia in multos uiros probos coniiciuntur, verum etiam impia multa contra fidei Catolicae dignitatem in hereticorum gratiam ac favorem asseruntur. Verbi 54, f. 139. gratia, quod Sedes Apostolica sit in Anglia extranea seu forinsica, et ideo per legem Premuniri exclusa; quod summus Pontifex nulla ratione possit Reginam Angliæ quacunque de causa deponere, neque bellum contra eam, uel per se, uel per alios mouere, quod si faceret, uel ipsem in persona propria contra eam veniret, se fore

^a It must be remembered that this Brief of Aug. 1601 was not promulgated by the archpriest until Jan. 26, 1602, i.e. until after Parsons' *Apologie* in reply to the earlier books of the appellants had appeared, and after the four priests had started on their journey to Rome.

contra pugnaturos, omnes Catholicos ad hoc ipsum esse obligatos asserunt.

Damnant preterea nominatim Anglicanos martyres quod hoc palam professi non fuerunt se Reginæ in eo casu fuisse adhæsuros; Damnant Catholicos quod suarum calamitatum causæ iustæ extiterunt, dum Sandero, Alano, Personio alijsque viris Anglis doctrinam contrariam docentibus assensi fuerunt. Reprehendunt nominatim acta summorum Pontificum Pij V^{ti}, Gregorij 13 et Sixti V^{ti} quod Reginam excommunicauerunt: Indigna scribunt de S. D. N. Clemente octauo profitentes se revelare uelle si quidquam scirent contra Reginam eiusque statum præsentem tractari, formam materiamque iuramenti cuiusdam impii proponunt, quo iuramento adiguntur se Pontifici aduersatuos si quidquam contra Reginam per vim moliretur. Archipresbiterum summum hipocritam, usurpatorem, patriæ proditorem passim uocant; Jesuitas deterrimæ inter omnes mortales uitæ ac nequissimos asserunt; pluresque ad Infernum quam ipsos Cacodemones trahere; aliaque similia intolleranda maledicta, quibus omne genus hominum ab eorum auersant commercio ne ipsorum opera iuuentur; aliaque hujusmodi libris eorum impressis continentur quæ coram constituendis à sua sanctitate iudicibus probabuntur. Interim Catholici Anglicani ualde his rebus affliguntur atque scandalizantur, dum istos tanto hereticorum fauore emissos uident.

54, f. 139b.

Quod ad personas eorum attinet qui aduenerunt, etsi palam ad hoc non se produnt, neque Collegio uel alijs qui suæ factionis non sunt, uidendos se prebeant, quatuor tamen uel quinque modo esse dicuntur, Bagshaus, Cecilius, Musheus, Champeneus, Bluettus, de quibus, etsi quæ dicenda erunt suo loco et tempore asseruantur, hic tantum significandum duximus: priores quatuor in hoc ipso de Vrbe Collegio Anglorum alumnos aliquando tumultuosos extitisse. Et primus quidem, qui alijs ad seditiones dux auctorque fuisse notatur, fuit per III^{mum} Car'lem Boncompagnum, qui Collegij Protector esset, ob seditionem olim electus; secundus uero Ill^{mi} Car'lis Alani cui aliquando pro Cappellano inseruuit testimonio

quod hodie etiam manu sua exaratum extat, causam Catholicorum semel atque iterum Cicilio, Angliæ Thesaurario, cognato suo prodidisse putatur, a cuius filio, qui modo Reginæ à secretis est omniaque gubernat, curatum esse, suspicantur multi quod explorandi causa Romam sit missus.

Postremus uero senex iracundæ naturæ, qui ex ministro olim Caluiniano factus sacerdos, multa scandalosè ex bile contra socios presb'ros in carcere gessit, idque tam uerbis quam pugno, et ex ipsiusmet literis constat eum ualde perfide cum ipsa Regina ac Consil^{rijs} contra viros multos Cath^{cos} egisse.^a

19. *Methodus expeditissima qua possint facillime discerni turbarum et controuersiarum Architecti in Anglia.* **54, f. 140.**

Citatus, et iuramenti religione astrictus, P. Personius ad hæc quæ sequuntur capita nudè et apertè sine ambagibus aut ambiguitate ut respondeat magna nos liberabit molestia, fontesque omnes et scaturigines calamitatum et controuersiarum nostrarum ita reddet conspicuas, ut non de morbo, sed de remedio (tali facto examine) Sanctitati V'ræ sit laborandum.

I CAP.

Cum in Angliam à Gregorio 13º Anno 80. fuerit missus, an in mandatis habuerit rebus politicis se immiscere, et quoisque in ijs progressus sit, utrum à superioribus uocatus ante finitum biennium Angliam reliquerit, in Gallijs personatus in habitu seculari, extra Collegij sui septa uixerit, Hispaniamque eodem ornatu aduolauerit

^a Tierney (vol. iii. p. clvii.) gives an analysis of another memorial, which he calls "an extraordinary document," drawn up by Parsons for the information of the pope and cardinals, and entitled "An account of the morals of some of the principal appellants." Charges of unchastity, drunkenness, violence, and treason are there urged against several priests in greater detail and with much asperity. Tierney prints also the text of a "Memorial against the Appellants" from a rough draft in the handwriting of Parsons, presented in the name of the Archpriest's agents, April 1602, dealing mainly with the "ambition," "sedition" and "dissolute lives" of his opponents.